

ut omnes qui ausu temerario *terram sanctuarii* fuerint ausi contingere, vel in aliquo lædere, et injurias ei inferre, nullius admirantes personam plenissimum usquequaque faciatis legere, et secus sanctorum canonum præcepta graviter eos corrigite. Postremum vero si necesse fuerit tempore et hora qua ipse vos deprecando admonuerit, cum ipso pariter gladio excommunicationis percutite, tenor autem nostræ excommunicationis iste est quem vos volumus roborare atque confirmare.

Auctoritate sanctæ et ineffabilis Trinitatis, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sint excommunicati, partem habeant cum Dathan et Abiron quos terra vivos absorbit; cum Juda quoque, qui Dominum tradidit, æternis incendiis concrementur; domus quoque eorum vastentur, sintque cum diabolo in igne, cujus ignis non moritur, et vermibus qui non moriuntur. In præsentis sæculo sentiant eamdem pœnam quam sentit Herodes, qui consumptus a vermibus exspiravit. Adjungat eis Dominus pestilentiam, donec pereant de terra et de his quæ sunt in ea. Percutiat eos Dominus egestate, feбри, frigore, ardore et æstu, et persequentur eos omnia mala hæc, donec evellantur a sedibus paradisi; feriat eos quoque Dominus ulcere, et parte corporis per quam stercora digeruntur. Scabie quoque, et pruriginis, ita ut curari non possint. Amentia et cæcitate a Domino feriantur; habeant quoque consortium cum Ario, cujus intestina in secessum egressa sunt. Maledictione perpetua, maledicat eos Pater

æternus, nisi se ad emendationem præparaverint, et sint sanctæ Dei Ecclesiæ liminibus sequestrati, et a consortio fidelium Christianorum omnium segregati, et insuper perpetuis anathematis vinculis innodati, ita ut non queant solvi usque pervenerint ad emendationem congruam. Maledicti sint dormientes, et maledicti vigilantes; maledicti egredientes, et maledicti regredientes; maledicti edentes et bibentes, et maledicti esurientes et sitientes. Maledicti sint operantes, et maledicti ab opere cessantes; maledicti in domo, maledicti extra domum, maledicti sint in civitate, maledicti extra civitatem; maledicti sint in villis, maledicti in montibus; maledicti in vallibus, maledicti in silvis; maledicti in pratis; maledicti in aquis; maledicti in omnibus locis, nisi se correxerint. Auferantur de partibus meritorum sanctæ Dei genitricis Mariæ omniumque aliorum sanctorum; recludanturque in baratro inferni. Ad postremum autem gladio perenniter excommunicationis nostræ, et Romanæ Ecclesiæ eos percutimus, et omnibus maledictionibus quæ in Veteri ac Novo Testamento continentur, eos jugulamur, perpetuali quoque gehennæ incendio concremandos etiam tradimus, nisi ad satisfactionem pervenerint. Volumus autem ut audientes hæc prosequantur dicentes: Fiat, fiat, fiat. Qui autem huic sententiæ nostræ obedire noluerit, sit anathema, maranatha, cujusve ordinis sit. Item enim dicitur perditio sit illis in adventum Domini. Amen.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIII.

SANCTUS UDALRICUS

AUGUSTANUS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM ULDARICUM.

Udalricus Episcopus *Augustanus*, secundus hujus nominis (nam de primo jam supra egit Fabricius noster lib. viii p. 303 s.) rexit Ecclesiam suam ab a. 924 ad 973. Vitam ejus exhibet Anonymus a Velsero Opp. p. 515. Surio 4. Jul. Mabillonio Sæc. V Benedictino, p. 415, et in Actis Sanctorum tom. II Julii, p. 97, editus, cum Commentario prævio Jo. Pinii p. 75, 97. Item Benedictus Gullmann, *Augustanus*, in Dissert. Lips. 1693 præside M. Godofredo Ludovici habita. Ei *Sermo synodalis parochianis presbyteris in synodis enuntiandus* ascribitur, editus primum t. IX Conciliorum Bini edit. secundæ pag. 803.